





1729, 7
O. D. B. V.

LXIII.

9

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

**DE VXORE
IN DONATIONE
PROPTER NVPTIAS
NEQVE DOMINIVM,
NEQVE HYPOTHECAM
TACITAM HABENTE,**

QVAM

CONSENTIENTE

ILLVSTRI FACVLTA TE IVRIDICA
IN PER-ANTIOVA ELECTORALI ACADEMIA
ERFFVRTENSI,

SVB PRÆSIDIO

DN. TOBIÆ JAC. REINHARTH,

JCTI, COM. PALAT. CÆS. JVR. FACVLT. ASSESSORIS ET COD. P. P. ORD.
CIVITAT. STND. ET CONSVLIS,

PRO SVMMIS IN VTROQVE JVRE HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS,

PVBLICÆ DOCTORVM CENSVRÆ SVBMITTIT

**ALBERTVS CHRISTIANVS
LVDWIG, Cizens. Misn.**

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORE HOR. CONSV.
DIE XXIV. NOVEMBR. M DCC XXIX.

ERFORDIÆ, Litteris GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



DISSEPTATIO MAGVSTRALIS IURIDICA

DE VxorE
IN DONATIONE
PROPTER INPITAS
NEQUE DOMINIAM
NEQUE HYPOTHECAM
TACITAM HABENTE

CONSENTIENTE
ILLIUSRI ENCIPTATE IURIDICA
IN TER. ANNO. 1710. TORON. ACADEMIA
I. N. S. T. I. T. U. T. I. S.

PER PRÆSIDIO
DN. TOBIAE JAC. REINHARTII

PRO SVMMIS IN VTRIOVE IVRE HONORIBVS
RIT. C. A. S. E. N. S. I. S.

ALBERTVS CHRISTIANVS
LUDWIG, Cens. J. N. S.

IN AVDIPIO IGORVM MAIORE HOR. CONSV.
DIE XXVI. NOVEMBRI. M. DCC. LXXI.
P. R. A. E. S. I. D. I. U. M. I. A. C. H. R. I. S. T. I. A. N. N. I. S.



VIRO SVMMME REVERENDO
DOMINO
ALB. CHRISTIANO
LVDWIG,

SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS
AC DVCIS SAXONIÆ

FRIDERICI II.
PATRIS PATRIÆ CLEMENTISSIMI

A
CONCIONIBVS AVLÆ PRIMARIIS CONFESSIONIBVS
ITEMQVE PROTO SYNEDRII SACRI
QVOD GOTHÆ FLORET CONSILIIIS

PATRI FILIALI
CVLTV PROSEQVENDO
HOC INAVGVRALE SPECIMEN
IN OBSEQVII GRATIQVE ANIMI TESSERAM
DICAT

SEQVE PATRIO FAVORI
COMMENDAT

Filius obsequiosissimus
ALBERTVS CHRISTIANVS LVDWIG.

NIRO SVINNE RANNE...
DOMINO
MIR CHRISTIANO
EDWIG
PATER PATRI...
CONDICION...
PATER PATRI...
CIVIT...
SIOVE PATRIO FAVORI
LIBERTVS CHRISTIANVS





CONSPECTVS.

- §. 1. Donationis propter nuptias doctrina valde intricata est & eorum obscura.
- §. 2. Maximo quoque dissensu Dobnoxia.
- §. 3. Causa harum dissensionum.
- §. 4. Ad Thema dissertationis transitio, quo falsitas hypotheseos communis ostenditur: Uxorem in donat. propt. nupt. constante matrimonio habere dominium, vel hypothecam tacitam.
- §. 5. Argumenta pro dominia.
- §. 6. 7. Argumenta pro Negativa.
- §. 8. Rationes BACHOVII pro Negativa non omnes satis strungunt.
- §. 9. Respondetur ad argumentum primum eorum, qui dominium in donat. propter nupt. adstruunt.
- §. 10. Resp. ad arg. Secundum.
- §. 11. ad Tertium & Quattum.
- §. 12. An & quatenus uxori dominium Donat. P. N. acquiratur post mortem mariti; ubi in regulâ respondetur, quod non?
- §. 13. Nisi pactum de lucranda donatione P. N. sit adjectum, vel statuto contrarium introductum.
- §. 14. Quod pactum tacite censetur adjectum, si de lucranda dote sit conventum.
- §. 15. Jure hodierno tale pactum tacitum non obtinet; ubi notatur DN. LEYSERVS.
- §. 16. Hoc dominium post mortem Mariti in speciebus saltem donatis acquirit uxor ipso jure & irrevocabiliter; secus in quantitate donatâ.
- §. 17. Tacitam hypothecam uxori in reb. propt. nupt. donatis competere omnes fere statuunt, contra BACHOVIVM & GIPHANIVM.
- §. 18.

- §. 18. Qui tamen in diversas ite-
rum abeunt sententias.
- §. 19. Ratio decidendi pro Nega-
tiva.
- §. 20. Septem Textus Juris pro
Affirmativa adduci solent.
- §. 21. Ad quorum primum &
secundum in L. 29. C. de Jur.
dot. & L. 19. ff. de donat. ante
Nupt. responderetur.
- §. 22. Resp. ad L. 12. §. 2. C. qui
pot. in pign.
- §. 23. Resp. ad Nov. 61. c. 1. & L.
13. C. de Donat. ante nupt.
- §. 24. Resp. ad L. 2. C. de bon.
qua liber. & Cap. ex Literis X.
de pignor.
- §. 25. Resp. ad Nov. 109. Cap. 1.
- §. 26. Neque ad interpreta-
tionem horum textuum doctrina-
lem vel usualem pro asserenda
hypotheca tacita recurri potest.
- §. 27. Multo minus Dn. BER-
GERI & STRUVII Sententiis
& dominium & hypothecam ta-
citam admittentibus, subscribi-
mus.
- §. 28. Neque Dn. LEYSERI tem-
peramentum sufficit.
- §. 29. Sententia Dn. HOFF-
MANNI, J.Cri Francof. exa-
minatur.
- §. 30. Uxor ratione donat. pro-
pter nuptias exiguas habet uti-
litates; in Concursu Credito-
rum, in quo in ultimam classem
de Jure Communi & Saxonico
Electoralis locanda. de Jure Sax.
vero communi Chirographariis
ipsis postponenda.
- §. 31. Quaestio: an Uxor ratione
Donationis propt. nupt. Domi-
nium vel hypothecam tacitam
habeat, frustra ad Logomacbius
Juris refertur. Conclusio.

CORRIGENDA.

In §. XXX. p. 26. circa finem sic legendum: Cum econtra JURE SAXO-
NICO COMMUNI ipsis Chirographariis postponatur.



§. I.



Donationis propter Nuptias doctrinam, quatenus communiter in scholis traditur, difficilem esse & intricatam, tantum non obscuram & maxime dubiam, omnibus facile erit perspectum atque cognitum, qui vel fugitivo oculo tot, tantasque Actorum circa eam dissensiones, nec non fluctuantes sententias, ac minus vel parum sepe cohaerentes conclusiones contemplabitur, quas ita vere comparatas esse animadvertet, ut, quod tam acutissimus MOLINÆVS in *addit. ad Alexandri Consilium XXX. n. 11. Vol. I.* quam GARZONIVS in *tr. de fœm. ad feudum admittend. n. 50.* de alio juris articulo scripserunt, scil. quod, quo magis istum legerint, atque evoluerint, eo magis semetipsos confuderint, tantoque minus, quænam communior, rectorque sit sententia, intellexerint, de hæcæ quoque nostra donationis propter nuptias materia ingenue fateri atque affirmare possit ac debeat.

A

§. II.

§. II.

Quis enim nescit, tam Gallicos & Batavos, quam Germanos, non inferioris famæ Jctos, haud paucos, eo delapsos, ut Donationes propter Nuptias hodiernum penitus esse sublatas contenderint, quos inter CVJACIVM L. 5. *Obs.* 4. SIMON VAN LEVWEN *Censur. for. L. I. Cap. 12.* GVDELINVM *de jure novo L. I. c. 8.* GROENWEGEN *ad Inst. L. 2. t. 8.* celeberr. FRANZKIVM *de Laudem. C. 22. n. 97.* COTHMANN. *tom. I. Resp. 50. n. 57.* HEIGIVM *ad §. 3. Inst. de Donat.* SCHILTERVM *Exerc. ad ff. 36. §. 86.* THOMASIVM *in not. ad dict. §. f. Instit. de Donat.* HEINECCIUM *ad ff. p. 4. §. 125. p. 475.* nominasse sufficit. Quem econtrario porro later, alios usum ejusmodi donationum hodiernum rectius quidem admittere, sed, mores ab indole ejusdem, qua juxta juris Justiniani principia quondam polluit, in variis, iisque potissimis capitibus nunc deflexisse, insignesque differentias ita introduxisse, ut fere donatio propter nuptias hodierna, diversa plane species existimari debeat, statuere, quorum numero MEVIVM *ad Jus Lubecense L. 1. t. 6. art. 1. n. 34.* HOPPIVM *ad Inst. L. 2. t. 7. §. f.* STRYCKIVM *in Usu Mod. L. 23. t. 3. §. 13. §. 14.* & CARPZOVIUM *P. 4. C. 21. def. 3.* deprehendere licuit. Neque incognitum, non paucos alios pro usu moderno paullo strictius pugnare, ita, ut quicquid jure Justiniano, Codicis puta & Novellarum, de hac donatione sancitum legitur, moribus nostris sæpe invitis, applicent, casusque in foro obvenientes, secundum ejusmodi principia decident, id quod non fecisse solum LAVTERBACHIVS *in Dissertat. de Donat. mortis causa Tulingæ*

binge Mens. April. 1653. habita, videtur, sed eadem quoque vestigia prellisse BODINVM JCr. Hallens. in Dissert. de Donat. mortis causa ab erroribus Doctorum vindicata cujus quidem copiam hactenus nobis habere non licuit, a Jcto Clarissimo Francofurthensi Dn. HOFFMANNO *de differentiis Juris Romani & Germanici in de-Strina de D.P.N. §. 6. in not. lit. c. relatum est.*

§. III.

Ejusmodi diffensionum causam e longinquo arcessendam esse non putamus. Sicut enim integra hæc de donationibus propter Nuptias doctrina juri Pandectarum est incognita, & contraria HOTOMANNI & WESENBECCII sententia ex Legibus Digestorum ab ipsis allegatis nullo modo probari defendique valet. Ita ipsi textus Codicis & Novellarum tam obscure ambigueque ejusdem indolem exprimunt, ostenduntque, ut non mirum sit, inter ipsos interpretes, qui in dijudicandis & examinandis hujus materiæ controversiis, juris Justiniani principiis simpliciter insistant, hæcque ad casus in foris modernos obvenientes applicent, vel in paucissimis thesibus esse concordiam, in multis vero, iisve gravissimis capitibus effectum Donationis P. N. sigillatim spectantibus, dissensum conspici, qui non leves dein errores peperit.

§. IV.

Cumque inter alios ejusmodi errores is non ultimum locum occupare videatur, quo in Donatione propter Nuptias non pauci Doctores dominium, plurimi vero jus hypothecæ legalis seu tacitæ, imo quidam utrumque de jure communi uxori tribuant, ope-

ræ duximus pretium, ut Doctorum hypotheses ad examen distincte revocemus, & loco speciminis inauguralis earundem falsitatem, ea, qua fieri potest brevitate, ostendamus.

§. V.

Illos inter, qui uxori dominium in re propter nuptias donata adstruunt, HUBERVM *Prælect. ad Instit. Tir. 7. §. 8. p. 144.* DONELLVM *L. 14. C. 9.* STRUVIUM *exercit. ad ff. 30. §. 36.* STRYCKIUM *in usu Mod. ff. L. 23. t. 3. §. 12.* cum pluribus aliis deprehendimus; audiamus horum argumenta, quæ sunt sequentia: PRIMO asserunt, quod inter donationem propter nuptias & dotem nulla tam quoad nomen, quam quoad substantiam intercedat differentia, expresse ita statuente IMP. JUSTINIANO *L. f. C. de donat. ante nuptias*; Atqui, inferunt, in rebus dotalibus marito acquiritur dominium; Ergo & in donatione P. N. idem dominium uxori competit. SECUNDO jus vindicandi mulieri res propter nuptias donatas, ut proprias, in *L. 29. C. de donat. ante nupt.* permitti atque concedi; Jam vero jus vindicandi arguere dominium *L. 23. p. 1. ff. de R. V.* TERTIO si in donatione propter nuptias uxor non haberet dominium, non posset appellari donatio. QUARTO res immobiles propter nuptias a marito donatas neque alienari posse, neque oppignorari *Nov. 61. C. 1. §. 1.*

§. VI.

Verum enim vero dominium rerum propter nuptias donatarum in uxorem in regula statim non transferri, sequentia argumenta satis superque evincere in-

tre-

trepide statuimus. PRIMO enim constat sola conventionem citra traditionem animo dominiū factam dominia rerum regulariter, nec, nisi casibus specialiter expressis, ipso jure transferri. *L. 20. C. de Pact. & L. 3. pr. ff. de O. & A.* Nunc vero donatio propter nuptias sola conventionem & promissione citra traditionem regulariter constituitur, neque ad illius substantiam traditio rei & possessionis ullibi requiritur. vid. *Nov. 119. C. 1. Nov. 127. C. 2. ibi & si tempus fiat executionis. LAV- TERB. colleg. pract. ff. L. 23. tit. 3. §. 41. & in Dissert. de Don. propter nupt. §. 14.* neque ut dominium ipso jure transferatur, in hoc casu specialiter disponitur. SECVNDO: Si vel maxime maritus res propter nuptias donatas, quod quidem potest, tradat, magis custodiae gratia, quam animo dominium transferendi, id fecisse censendus est, ita scilicet, ut morte mariti demum, vel matrimonii vinculo aliunde dissoluto, uxor, si praesertim pactum de lucranda donatione sit adjectum, illud acquirat, interim vero & ante existentiam vel mortis, vel divortii, rem, majoris securitatis gratia, saltem detineat. Nunquam enim traditio sola citra apertam voluntatem domini rei suae dominium in alium transferendi, dominium transfert. §. 40. *Inst. de Rev. div. junct. L. 19. pr. ff. de Reb. Cred.*

§. VII.

TERTIO: Ex eo uxorem non statim fieri donationis propter nuptias dominam, sed apud maritum proprietatem persistere, apparet, quod maritus res immobiles donatas alienare vel oppignorare specialiter prohibitus sit per *Nov. 61. Cap. 1.* At vero, quid haec speciali

ciali alienationis vel oppignorationis prohibitione opus fuisset, si non maritus, sed uxor dominium habuisset, cum is, qui non est dominus, ipso jure & regulariter rem alienare vel oppignorare nequeat, ac per consequens specialiter alienare frustra prohibeatur. Nec dubitari potest, ante allegatam constitutionem Justinianeam in *Nov. 61. Cap. 1.* marito jus alienandi res immobiles propter nuptias donatas indistincte competuisse, per verba ejusd. in *§. 1. Cap. 1.* ibi *quapropter hoc observetur, & qui posthac contraxerit, sciat, quia sive emptionem, sive hypothecam habeat, nihil horum utilitatis habebit omnino.* Jam autem JUSTINIANVM in dicta sua nova constitutione marito dominium ipsam ademisse, nulatenus apparet, sed hoc saltem constat, quod particularem ejusdem effectum, in jure alienandi consistentem, quoad *immobilia* restrinxerit, cæteros vero effectus omnino servaverit. Quo minus ergo pupillus Dominus esse desinit, quod alienatio rerum suarum per LL. ipsi est interdicta, eo minus idem de marito intuitu donationis propter nuptias dici poterit. Notanter vero dixi, quoad *immobilia* saltem marito alienandi facultatem esse ademptam; Nam res mobiles propter nuptias donatas, sive in quantitibus, sive speciebus consistant, omnino pro lubitu eundem alienare posse ex dict. *Nov. 61. Cap. 1.* plus quam manifestum est, novo iterum argumento & indicio, uxorem in rebus propter nuptias donatis non esse dominam. QUARTVM argumentum ex eo, deducimus, quod uxori in rebus donatis pignus s. hypotheca expressa constitui queat *L. 29. C. de Jur. Dot.* quod fieri non posset, si uxor esset

set domina, cum in re propria pignus esse nequeat. L. 45. pr. ff. de R. J.

§. VIII.

COLLEGIVM JVRID. ARGENT. tit. de Fur. dor. thes. 39. SCIPIONEM GENTILEM tr. de Donat. inter vir. & uxor. L. 4. C. 14. SVTHOLTVM Diff. 6. §. 44. BACHOV. ad TREVTL. Vol. 2. Disp. 19. th. 8. lit. b. p. 142. LAVTERBACHIVM Disp. de Donat. P. N. §. 53. & in colleg. pract. tit. de jure Dor. §. 41. HEINECCIUM Elem. Jur. L. 2. r. 8. §. 463. p. 154. cum pluribus aliis prædictæ nostræ sententiæ adstipulari, ex allegatis locis manifestum est. Sed rationibus singulis, quas BACHOVIVS cit. loc. adduxit, indistincte non subscribimus, quin potius de una alterave HVBERO consentire cogimur, qui in prælect. ad Instit. p. 145. illas oppido parvi esse momenti asserit, quod e. g. de quinta ejus ratione admittimus, quam ab usufructu uxori in rebus propter nuptias donatis non competente depromit. Ut ut enim in se satis verum, uxori usumfructum talem non competere, cujus quidem contrarium, sed sine ratione sustinere voluit DONELLVS L. 14. C. 9. cum tamen constet, quot quantisque vicibus in jure contingat, alicui salva proprietate usumfructum non competere, & vice versa usumfructum quempiam habere posse absque dominio; hinc illam rationem ad probationem domini mariti nihil vel parum concludere, manifestum est.

§. IX.

Quod jam adversæ sententiæ fundamenta attinet, facile singula corruere, apparebit ex sequentibus: Ad

PRI-

PRIMUM enim, quo STRYKIVS potissimum utitur, respondetur: Comparationem sive potius exæquationem donationis propter nuptias & dotis à JUSTINIANO in *L. f. C. de de donat. ante nupt.* factam nullatenus esse universalem sed particularem, certa solummodo dotis capita respicientem; adeoque continet istud argumentum fallaciam, ut scholæ loquuntur, à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, id quod ipse STRYKIVS *cit. loc. §. 12.* agnoscit, contra DONELLVM asserens: Uxori usumfructum ex donatione propter nuptias non competere, quod utique fieri deberet, si exæquatio dotis & donationis propter nuptias in omnibus indistincte facta esset. Deinde hypotheca tacita generalis cum jure praelationis donationi aequae ac doti in omnibus bonis mariti tribuenda foret, quod tamen legi affiduis *12. §. 2. C. qui pot. in pign.* directe adversatur. Porro sequeretur, uxori potestatem res donatas mobiles alienandi concedi debere, quod itidem expressis juris repugneret textibus. Per substantiam itaque illam, cum qua exæquationem dotis & donationis factam esse in *supra dicta lege fin.* asseritur, non tam effectum sed quantitatem dotis & donationis P. N. indigitare voluisse Imperatorem, credendum est.

§. X.

SECUNDVM argumentum eo minus dominium uxoris probat, quo apertius ex nexu allegatae *L. 29. C. de jure dot. & Nov. 97. C. 6. §. 1.* apparet, jus vindicandi res propter nuptias donatas uxori ab Imperatore non simpliciter & statim, sed tum demum, si vel matrimonium dissolutum, vel durante adhuc vinculo, maritus ad

ad inopiam pervenisse, ab uxore probatum sit, attribui, quod thesin nostram magis confirmat, quam destruit. Quod si enim uxor esset statim domina, jus vindicandi ad tempus inopiæ vel dissoluti matrimonii eadem restringi non potuisset, sed statim concedi debuisset, contra *Nov. 61. cap. 1.* Deinde recte animadvertit BACHOVIVS supra *cit. loc. verbum*: VINDICATIONIS in jure non semper propriè pro rei vindicatione, qua actione ex dominio directò resultante, sed in genere pro *petitione quacunque seu actione reali* sæpe accipi, & vel etiam vindicationem heic non talem, quæ ex jure directò & dominio nascitur, sed utilem, quæ ex sola æquitatis ratione uxori accommodaretur, subintelligi; adeoque illam non actionem nativam, sed merè dativam esse, quod ex ipsis verbis sæpe citatæ NOVELLÆ *LXI. Cap. 1. verb. non enim* valde est probabile; Quid ergo, si res propter nuptias donatæ non in speciebus, sed quantitativis, vel generibus consistant? Quomodo tunc, quæso, rei vindicatio locum habere poterit? quæ non nisi in re certa, quæ in individuo designari & describi potest, & debet, competit. *L. 6. ff. de R. V.*

§. XI.

TERTIVM argumentum, quo HVBERVVS utitur, oppido parvum est, ut totum illud concedere, nulli dubitemus. Ipse JUSTINIANVS in *Nov. 119. Cap. 1.* Donationem propter nuptias aliis donationibus accenseri noluit, sed, ut sit specialis contractus, disposuit. Dein ipsum HVBERVVM concedere citato loco legimus, in casu, quo traditiõ rei propter nuptias donatæ facta

B

nop

non est, sed sola conventionione substitit, dominium in uxorem non transire. Atqui in meris conventionum terminis subsistere nostras donationes regulariter, nec traditionem insecutam habere effectum dominiitranslativum supra jam satis ostensum est. Neque QVARTVM argumentum magis stringit, quam reliqua, jam jam elisa. A prohibita enim alienatione speciali ad negationem dominiit, non valere consequentiam, supra in thesi VII. satis probavimus.

§. XII.

Absoluta nunc demonstratione: Uxori in rebus propter nuptias donatis dominium, constante scilicet matrimonio non competere, an & quatenus illa proprietatem donationis, rupto matrimoniali vinculo, acquirat, adhuc addendum existimamus, antequam probationem secundi membri thematis nostri inauguralis suscipimus. Ubi sic tenendum est: Uxor regulariter, secundum principia Juris Justiniani, & Canonici, matrimonio per mortem dissoluto, donationem propter nuptias non acquirit, si dotem habet salvam; ita quidem, ut ipsa uxore præmoriante, maritus superstes, quam fecit donationem, retineat integram. per *arg. L. un. §. 6. C. de R. U. A.* & per *Cap. fin. X. de donat. inter vir.* & *uxor CARPZ. P. 2. C. 42. def. 1. n. 7.* de qua nec quicquam postea liberis ex matrimonio illo natis præstare teneatur, etiamsi ad secunda vota convolaverit. *L. 18. C. de donat. ante nupt.* marito vero præmoriante donatio propter nuptias ad mariti heredes transmittatur. *arg. l. unic. §. 6. C. de R. U. A. CARPZ. supra cit. def. n. 8.*
ibi

ibi præjud. Scabin. Lipsiens. FRANZK. de Laudem. C. 22.
n. 68.

§. XIII.

Notanter verò uxorem *regulariter* de donatione nihil lucrari soluto matrimonio asseruimus. Egregia enim exceptio a Regulâ tunc obtinet, quando vel (I.) pactis inter virum & mulierem de lucranda donatione propter nuptias conventum, quod omnino fieri posse ex *Cap. fin. X. de donat. inter vir. & uxor. L. 9. C. de Pact. Conv. & Nov. 97. c. 1.* extra dubium est; vel (II.) statuto vel consuetudine aliud receptum esse constat, sicut de Saxoniâ in univèrsum testatus est CARPZOVIVS *L. 6. tit. 1. Resp. 5. n. 1. & RITTERSHVSIUS ad Nov. p. 5. Cap. 14. n. 7.*

§. XIV.

Quod vero de pactis de donatione propter nuptias post mortem mariti lucranda diximus, illud eatenus. Jus Justinianèum in favorem dotis *in L. f. pr. C. de Donat. ante Nupt. & Nov. 97. C. 1.* extendit, ut etiamsi à marito, de lucranda donatione propter nuptias expresse nihil pactum, tamen illud toties intervenisse fingatur, quoties ex parte uxoris pactum de lucranda dote, quam revera marito solvit, in hujus favorem est initum. Hoc enim casu illud lucrum, quod uxor marito in dote patet, hic uxori similiter in remunerationem dotis, sive velit, sive nolit, stipulatus esse creditur, ita, ut uxor, præmortuo marito, idem lucrum, quod maritus ex dote accepisset, post hujus fata etiam ex suis bonis petere queat. Dotem enim & donationem propter nuptias

æquis omnino passibus, tam quoad constitutionem, quam quoad pacta de utrâque lucranda, ambulare, sollicite voluit Imperator in dict. Nov. 97. C. 1. § Auth. *Æqualitas C. de Pact. Convent.*

§. XV.

In contrarium equidem, sed male, respondisse JC. tos Helmstadienses Anno MDCCXVII. putavit, relatumque dedit B. Dn. LEISERVS in *Medit. ad Pand. spec. 305. n. 3. § 4. p. 220.* ubi improbavit rationem decidendi ex LAVTERBACHIO *Disp. de Don. P. N. §. 14. § 23. item §. 60.* desumptam, quæ in dicto Responso sic se habet: *Diemeil aber dennoch in Rechten versehen ist / daß die Donatio propter nuptias, wo sie nicht bey Lebzeiten des Mannes ausgemacht wird / nach dessen Tode nicht gefodert werden könne ꝛ. existimatque Vir Celeberrimus Legem 20. pr. C. de donat. ant. nupt. per se satis claram atque æquam nec contraria lege ullibi sublatam inveniri, adeoque secundum illam hodiernum omnino pronunciandum esse. Verum enim vero; Negari quidem nequit, allegatam Responsi Helmstadiensis rationem juri Justiniano in §. XIV. adducto, non respondere; At vero LAVTERBACHIVS citatis locis eandem Juris Justiniani dispositionem non improbavit, sed hoc saltem ex MANTICA & PEREZIO monuit, quod nostris moribus ubique ferè gentium æqualitatis necessitas, sicut in constitutione dotis & donationis, ita & in pactis, de alterutris lucrandis, remissa sit; quam æqualitatis hodiernam remissionem, sicut ipse Dn. LEISERVS in *Medit. ad ff. alleg. specim. 305. N. V. p. 221.* quantum ad quantitatem lucri mutui attinet, agnovit, & defendit,*

dit, nec non præjudicio Facultatis *Vitembergensis* de Anno 1710. roboravit, idque ex solida decidendi ratione: quod hanc partem juris Romani nunquam Germani receperint, sed libertatem paciscendi, ut in aliis omnibus negotiis, ita hic quoque servaverint, regulamque suam, pacta omnia honesta valere, constanter retinuerint; Ita, cur non ex eodem hoc principio inæqualitas dotis & donationis propter nuptias hodie admittenda sit, ut uxoris constitutio dotis absque ullo donationis propter nuptias reciproco pacto lucrativo subsisteret? sufficiens ratio deficit.

§. XVI.

Ex dictis liquet, uxorem acquirere donationem propter nuptias, matrimonio per mortem mariti dissoluto, si dotem realiter solutam salvam habeat, & de lucranda dote & donatione propter nuptias conventum, vel statuto vel consuetudine tale quid introductum sit. Sed quomodo illam acquirat? Respondetur, quoad dominium irrevocabiliter, & pleno jure, si nulli ex eodem matrimonio liberi extant; *Nov. 117. c. 8. verb. Filiis autem non existentibus* & *cap. 9.* hocque dominium ipso jure a morte mariti, ita disponente lege, ad uxorem transit, ut actione in rem vindicatoria tam contra heredes mariti, quam contra quemcunque possessorem experiari valeat. *Nov. 61. Cap. 1. & Auth. Permissa C. de Donat. ante nupt.* modo certa species vel corpus propter nuptias donata sit; secus enim erit in quantitate vel genere donata, quo casu actionem realem contra quemcunque possessorem locum habere non posse, recte obser-

vavit STRYK *in usu mod. ff. tit. de jure dot. §. 12. in f.* sed saltem actione personali ex contractu Donationis P. N. contra heredes tunc experiri poterit. Quod si verò liberi ex eodem matrimonio adsint, viduaque intra annum luctus ad secunda vota non convolet, hæc de donatione propter nuptias portionem saltem virilem ein Kindes Theil pleno jure acquirit, in reliquis vero partibus tantum usumfructum & liberi proprietatem habent. *Nov. 127. c. 3.* In casu verò, quo intra annum luctus nubit, h. e. matrimonium vere consumat, integra donationis propter nuptias proprietatem liberis, & matri solus ususfructus remanet. *Nov. 98. C. 1. Auth. uxore mortua C. de Secund. nupt. Nov. 117. Cap. 8.* per quos textus a rigore Juris Codicis in *L. 5. §. 2. & L. 6. §. f. C. de secund. nupt.* quodammodo recessum est. Quid autem in casu dissoluti vinculi matrimonialis per divortium, cui maritus causam dedit, ratione donationis propter nuptias, obrineat ex *L. 8. §. 4. in f. C. de repud. & Nov. 117. cap. 9. nec non Nov. 134. C. 10.* videri potest.

§. XVII.

Atque de hoc dominio, an & quatenus illud ab uxore in rebus propter nuptias donatis acquiratur, vel non acquiratur, dicta sufficiant. Jam, ne a themate dissertationis nimium digrediamur, ad demonstrationem ulterius ejusdem membri nos accingemus, evictumque dabimus, uxori in rebus propter nuptias donatis jus hypothecæ legalis seu tacitæ de jure communi non competere; Ubi tamen in antecessum ingenue fatendum est, si a sola Doctorum autoritate & multitudine decisio penderet, nos in defensione thesæ nostræ sine dubio succubituros, cum unanimi fere
omnium

omnium consensu, & illorum etiam, qui dominium uxori in donationatione propter nuptias non adscribunt, ad minimum jus hypothecæ tacitæ eidem vindicari videamus, quorum numero LAVTERBACHIVM, CARPZOVIUM, RICHTERVM, BRVNNEMANNVM, BERGERVM, VVERNHERVM, LETSERVM, LVDOVICI, BÖHMERYM, aliosve fere innumeros deprehendimus. Econtra vero præter BACHOVIVM *tr. de Pignor. L. I. Cap. X. n. 3.* & GIPHANIUM *ad l. un. C. de Rei Ux. Adf. p. 414.* paucissimi nobis cum sentiunt, imo ipse BACHOVIVS contrariam sententiam ab initio in *not. ad Treuil. Vol. 2. Disp. 19. lit. B. p. 141. seq.* statuiffe valde probabile fit.

§. XVIII.

Non verò unius ejusdemque sunt sententiæ, qui uxori tacitam hypothecam præfato modo adscribunt. Alii enim illam ad omnes omnino propter nuptias donationes, quæ etiam dotem excedunt, quod facere videtur LAVTERBACHIVS, BRVNNEMANNVS, LVDOVICI, WERNHERVS, CARPZOVIUS cum multis aliis. Alii hanc hypothecam tanquam jus singulare & exorbitans ad istas solas donationes, quas marito *dori æquales* in securitatem vel compensationem dotis restringunt, nec ad alia lucra, quæ forte uxori in pactis dotalibus post mortem mariti promittuntur, trahunt, ut B. Dn. LEYSERVS *in Medit. ad Pand. spec. 226. §. 8. p. 738. Vol. III.* alii denique generalem; alii vero specialem illam esse contendunt. Ubi iterum de tempore a quo hujus prætensæ hypothecæ discrepant, quod STRYKIVS ad BRVNNEM. *de conc. cred. cap. 5. §. 51. Voc. Paraphern.* ad diem nuptiarum contractarum, e contra LAVTER-

BA-

BACHIVS *Colleg. Pr. L. 20. Tit. 2. §. 37.* ad diem factæ donationis retulit.

§. XIX.

Sed neutrum horum sententiam in Jure fundatam esse asserimus. Ratio decidendi unica & primaria hæc est: Quod hypotheca tacita seu legalis sine EXPRESSA LEGE DISPOSITIVA statui effingique nec possit nec debeat. Jam vero ratione donationis propter nuptias nullam expressam legem dispositivam, qua uxori hypotheca tacita sit concessa, in Jure adesse pro certo habemus. Ergo tacita hypotheca illi effingi statuique non potest.

§. XX.

Jam textus pro vindicatione hypothecæ tacitæ hinc inde adduci solitos, distincte examinabimus, & an & quatenus de hypotheca tacita quid disposuerint, videbimus. Varii autem a variis producuntur in medium. Plurimi (1) ad *L. 29. C. de Fur. dotium* (2) ad *L. Si Constante 19. C. de Donat. ant. nupt.* (3) ad *L. 12. §. 2. C. qui pot. in pign.* (4) ad *Nov. 61. Cap. 1.* (5) ad *L. 13. C. de Donat. ante nuptias quod facit Dn. LEYSER in Corrolar. ad Specim. 305. Medit. ad ff. §. 8. Vol. V. p. 225.* (6) ad *L. 2. C. de bon. que liber. §. Cap. ex litteris X. de pignor. ut BRUNNEMANNVS ad L. 12. C. Qui pot. in pignor. & denique (7) ad Nov. 109. Cap. I.* provocant, quem ultimum textum LAUTERBACHIVS in *Colleg. Pract. L. 20. tit. 2. §. 36.* ad probationem hypothecæ tacitæ appellat perspicuum.

§. XXI.

Verum enim vero neutri horum textuum quipiam

piam inest, quod expressam & perspicuam de tacita hypotheca dispositionem arguere potest. Nam primus textus in *L. 29. C. de jure dot.* de donatione propter nuptias, expressa hypotheca munita, loquitur, & nihil minus, quam de hypotheca tacita quicquam disponit, quin potius uxori solummodo jus concedit, propter *suppositam hypothecam* actione hypothecaria ratione donationis propter nuptias, etiam constante matrimonio experiundi, si illa maritum ad inopiam vergere, probare possit. At vero *supposita* hypotheca non tacita, sed *expressa* est, factum hominis non legis requirens; sicut hæc vox: *SVPPONERE*, eodem sensu in *Nov. 61. Cap. 1.* manifeste accipitur (2) hic textus in *L. 29. C. de jur. dot. JUSTINIANI* est, quæ Anno 528. promulgata, jam vero, si per illam hypotheca tacita uxoribus ratione donationis propter nuptias fuisset constituta, illam hypothecam per integrum ferè bienniennium uxor prius accepisset pro donatione propter nuptias, quam pro ipsa dote, quæ demum Anno 530. *Kalend. Nov.* jure hypothecæ tacitæ ab eodem JUSTINIANO per *L. un. §. 1. C. de Rei uxor. Act.* fuit munita; id quod tamen minus verisimile, optime idem observante BACHOVIO *tr. de Pign. L. I. Cap. X. n. 3. p. 40.* Eademque responsio ad *secundum* textum in *L. constante 19. ff. de donat. ante nupt.* sufficit, quippe qui de hypothecis *contractis*, adeoque iterum non de tacitis, sed *expressis* distincte loquitur, de quibus, quin donationibus propter nuptias accedere queant, nulla omnino est controversia.

§. XXII.

Textus TERTIVS in *L. 12. §. 2. ff. qui pot. in pign. hypo.*

C

hypothecam tacitam donationi propter nuptias magis denegat, quam concedit, verbis: *Hæc autem ad dorem sancimus, non ad donationem propter nuptias, addita decidendi ratione: Non enim pro lucro fovemus mulieres, sed ne damnum patiantur, suisque rebus defraudentur curamus,* quæ decidendi ratio satis perspicue innuit: noluisse Imperatorem illa ipsa jura, quæ antea uxoribus ratione dotis in damno vitando versantibus, pro securitate indulferat, iisdem ratione donationis propter nuptias lucrum captantibus applicari. At vero illa jura non in prælatione saltem, sed & *hypotheca tacita* consistebant, quorum utraq; ad donationes propter nuptias ea propter sollicite prohibuit extendere. Verba vero textus intermedia: *quam suo tempore inservire disponimus, & habere inter creditores sui temporis ordinem,* multo obscuriora sunt, quam ut tacitam hypothecam arguant; Nihil enim aliud volunt, quam ut uxores vel expressâ hypotheca gaudentes inter hypothecarios secundum temporis ordinem, vel hypotheca ejusmodi distitutæ, inter chirographarios locentur, & sic vel respectu tertiæ vel quintæ classis, suo ordini & tempore, inserviant.

§. XXIII.

QVARTVS textus in *Nov. 61. c. 7.* a constitutione hypothecæ tacitæ in rebus propter nuptias donatis tam alienus est, ut nihil in ejus favorem, præter alienationem & oppignorationem, sub pœna nullitatis, marito prohibeat. Jam a prohibita alienatione & oppignoratione, ad hypothecæ tacitæ constitutionem, non valet consequentia. Res litigiosæ alienari sunt prohibitæ, quis autem inde inferret, Ergo actori in iis jus hypothecæ taci-

tacitæ constitutum est. Nec QUINTO *L. 13. C. de Don. ant. nupt.* ad quam Dn. LEYSERVS supra cit. loc. sigillatim provocat, quicquam thesi nostræ adversum indicat. Recte GOTHOFREDVS in *not. ad hanc legem lit. a.* sequentem in modum commentatur: *Neque tamen hinc collige in rebus ita donatione acceptis jus tacitæ hypothecæ habere. Nec enim hanc habet per L. Assiduis 12. in f. ff. qui potior in pign.* Ecce hic genuinam asserti nostri, quod in hoc & præcedente §. 22. continetur, confirmationem. Velenim citatum textum ratione rerum propter nuptias donatarum plane nullam, vel saltem expressam supponere hypothecam existimamus. Utrumque, salva Juris analogia, defendi posse, credimus.

§. XXIV.

Pro quinto porro & sexto textus BRVNNEMANNI in *L. 2. C. de bonis quæ liberis* & *cap. ex Literis X. de pignor.* ne per nudam quidem apparentiam nobis opponi possunt, nec quicquam de tacita hypotheca in donatione propter nuptias vel directe, vel per argumentum in se continere, cuilibet vel fugitivo oculo illos inspicienti patebit, ideoque, ut speciatim & latius ad illos respondeamus, operæ haud ducimus pretium.

§. XXV.

Nihil itaque restat, quam ut septimo ad NOVELLAM *CIX. Cap. 1.* respondeamus, quam pro probanda thesi adversa, textum perspicuum appellavit LAVTERBACHIVS, ingenue fatendo, ex omnibus aliis præ allegatis legibus illam satis probari non posse verba CITATÆ NOVELLÆ quoad passum concernentem sunt sequentia: &c. *Quia enim dedimus privilegium mulieri-*

tieribus dotium, ut etiam prioribus creditoribus præponan-
 tur, & meliorem ordinem eos habere, & nec à tempore supe-
 ratas: in donationibus autem propter nuptias secundum tem-
 pora, per quæ sunt hypothecas habere, omnibus in præsen-
 ti facimus non manifestum per hanc sacram nostram Legem,
 quia & hoc privilegium & tacitas hypothecas, & omnia
 alia, quæ mulieribus omnibus in diversis privilegiis à nostris
 Legibus data sunt, illis damus solis, quatenus his fruantur &
 utantur, & quæ diligentiam habent rectam, & adorandam
 nostram fidem tenere &c. sed salva nihilominus res est!
 Neque textus quidem hujus verba adeo nobis perspi-
 cua videntur, ut LAVTERBACHIO forsân visa sunt;
 Imprimis enim, de iis ex integra textus constructione
 & nexu satis constat, quod non sint *dispositiva*, sed sal-
 tem *enunciativa* & *relativa*, & ita comparata, ut JUSTI-
 NIANVS per hanc suam constitutionem uxoribus rati-
 one dotium & propter nuptias donationum neuti-
 quam de certis privilegiis & prærogativis de no-
 vo prospicere, sed illa saltem, quibus anterioribus
 Constitutionibus iisdem jam tum prospexit, ad uxores
 solas christianæ & apostolicæ fidei addictas restringere,
 contra verò hæreticas iisdem privilegiis juribusve pri-
 vare voluerit. Fac ergò, illud, quod de tacitis hypo-
 thecis in textu nostro continetur, non de dotibus solis
 intelligi, sed insimul, salvis bonæ interpretationis regu-
 lis, ad donationes propter nuptias extendi posse, eò
 minus inde concludens tacitæ hypothecæ probatio
 inferri valebit, quò apertius Lex hæc ad præcedentes
 constitutiones se refert, adeoque ultra illud, quod in
 his expressè distinctèque continetur, quidpiam proba-
 re

re nequeat. At verò in præcedentibus constitutionibus de tacitâ uxorum hypothecâ nil quicquam dispositum fuisse, supra satis evictum esse credimus. Quod si forsan exceperis: JUSTINIANVM authenticè per hanc Novellam 109. c. 1. constitutiones anteriores, dubias esse interpretatum, jure replicamus meritòque: tantum abesse, Imperatorem in hóc textu intentionem interpretandi mulierum privilegia habuisse, ut potius uxoribus hæreticis illa concedenda haud esse, tantum disposuerit. Jam verò præter intentionem Legislatoris interpretationem authenticam fingere, ubi talis non est, non licet; quid? quod anteriores constitutiones, tanquam relatum, non ex hâc Novellâ tanquam referente, sed hanc ex illis interpreta mentum admittere, rationi est convenientius. Ex quo consequitur: verba nostræ Novellæ: *In donationibus autem propter nuptias, secundum tempora que fiunt, hypothecas habere, juxta L. 12. §. 2. ff. C. Qui potior in pignor. de hypothecis expressis esse sub intelligenda, sequentia vero verba: Quia Et hoc privilegium, Et tacitas hypothecas Et c. ad dotem saltem pertinere.*

§. XXVI.

Atque hoc ipsum ad textus nobis, objectos respondisse satis est. Quo pacto itaque, deficiente ita lege expressâ ac dispositivâ, hypotheca tacita à Doctõribus donationibus propter nuptias effingi, defendique, &, quod magis est, in usum fori introduci potuerit, ipsi viderint? Nobis verò, ut à regulâ in §. XIX. proposita recedamus, ac absque lege hypothecam tacitam statuamus, religioni non immerito ducimus, certissimè per-

suasi, nec per doctrinalem interpretationem legum fieri posse, ut hæc vicem expressæ Legis dispositionis quoad passum hypothecæ tacitæ constituendæ sufficiat. Ac nec usuales interpretationem regulariter ejusmodi effectum habere, nostræque sententiæ obstare putamus. Hanc enim, ut in cæteris paribus vim interpretationis authenticæ habere non negemus, propter *L. 38. in f. ff. de LL.* ubi JCTUS CALLISTRATVS expresse docet: *In ambiguitatibus, quæ ex Legibus proficiuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter judicatarum auctoritatem vim Legis obtinere debere;* in præsentī tamen casu illa eo minus obtinere poterit, quo ex prædictis satis luculenter apparet, hypothesein adversam ex errore primum & non ratione introductam, deinde consuetudine quâdam apud quosdam obtentam esse; Nunc vero ex CELSI effato in *L. 39. ff. de LL.* constat: *illud quod non ratione, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in ahis similibus non obtinere.* Deinde alterum interpretationis usualis requisitum: scil. *Observantiam constantem & diuturnam,* juxta *cit. L. 38. ff. de LL.* heic deficere, propter apertum JCTORUM dissensum, ac inde promanentem sententiarum varietatem manifestum est.

§. XXVII.

Quæ cum ita sint, illustris Dn. BERGERI sententiæ tanto minus subscribere poterimus; quippe qui in *Oeconomia L. 1. tit. 3. §. XII. p. 135.* uxori in re propter nuptias donata utrumque & dominium & hypothecam competere asserit, illudque jure quodam singulari, in securitatem constitui, atque adeo effectum cum hypotheca tacitâ coin-

coincidere, exemplo illius, quod venditor sibi pretii nondum soluti nomine, reservat, statuit. Cui sententiæ quoque STRUVIVM addictum fuisse opinamur, qui in *Exerc. ad ff. 26. §. 14. N. III.* uxori hypothecam tacitam ratione donationis propter nuptias, contra verò in *Exerc. 30. §. 36.* dominium, & sic utrumque eidem uxori vindicat; alias sibi expresse contradixisset, quod de tanto Viro præsumi non licet. Certe, sententiam ejusmodi malè cohærere vel inde apparet, quod in re propria hypotheca constitui, ac ita dominium & hypotheca simul ratione unius rei ejusdemque debitoris & Creditoris, absque notâ Contradictionis, concurrere nequeat. *L. 45. pr. ff. de R. Fur.* Exemplum, venditoris sibi, pretii nondum soluti nomine, dominium reservantis nihil conficit, cum de hoc, quod tacitam simul hypothecam non habeat, constet, ac manifestum sit, illum in concursu Creditorum ratione hujus domini reservati omnibus creditoribus præferri; STRUV. *Ex. ad ff. 45. §. 46.* quod tamen de uxore ratione donationis propter nuptias fieri posse vel factum esse nuptiam legitur, quin potius hæc, eodem monente STRUVIO *cit. loc. §. 49.* ne quidem ad classẽ secundam, sed ad tertiam pertineat.

§. XXVIII.

B. Dn. LEYSERI sententia, quam in *Meditat. ad Pandect. specim. 226. §. 8. Vol. III.* proposuit, multum quidem temperamenti & speciei in se continet, dum hypothecam hanc tanquam jus singulare & exorbitans ad istas solas donationes, quas maritus doti æquales vel in securitatem vel in compensationem dotis constituit

stituit, restrinxit, contra verò ad alia lucra in pactis dotalibus uxori post mortem mariti promissa extendere noluit; sed huic libenter assentiremus, si vel unico saltem textu, quos ibi allegavit, convinceremur, uxori jus hypothecæ ratione donationis propter nuptias doti æqualis, & in securitatem hujus constitutæ, concessum esse. Nec enim per ejusmodi donationem propter nuptias doti ulla similis, nedum major præstatur securitas, illâ, quam jam ante ejusmodi donationem habuit; cum ex *L. 12. §. 1. C. Qui pot. in pign.* constet, doti præter hypothecam tacitam generalem in omnibus bonis mariti, & jus quoque prælationis competere; adeoque uxorem sibi pessimè consulere, si loco dotis illatæ donationem propter nuptias illi æqualem compensationis loco eligat; hòc ipso enim efficeret, ut loco classis secundæ in tertiam in concursu creditorum locaretur, supposito scilicet casu, quod donatio propter nuptias aliquo jure hypothecæ, secundum Dn. LEYSE-RI sententiam, gaudeat. Hanc enim donationem, sive doti æqualem, sive lucrum excedens continentem, jure prælationis non competere, ex *L. assiduis 12. §. 2. l. Qui pot. in pignor.* satis constare credimus, nec in verbis ejusdem finalibus: *Non enim pro lucro fovemus mulieres, sed ne damnum patiantur, suisque rebus defraudentur curamus*, illis donationibus propter nuptias lucrum in se non continentibus, intuitu dotis hypothecam tacitam concessam, quippe quæ omni omnino careret effectu, multo verò minus jus prælationis tributum fuisse, statuimus, atque inde etiam à sententia LAUTERBACHII in *Colleg. Pract. tit. in quib. caus. pign. §. 37.* merito divortium facimus.

§. XXIX.

§. XXIX.

Evicto nunc, uxori de jure communi neque domini-
 um neque hypothecam competere, non immerito
 ex nobis quæri posset, qualem demum effectum dona-
 tio propter nuptias habeat? Magnificus Dn. HOFFMAN-
 NUS in *Dissert. de diff. Jur. Romani & Germanici in doctri-
 nâ de Donat. P. N.* Francof. Ann. 1727. habita §. 5. lit. c.
 p. 26. respondet: *Consequi inde uxorem jus, quod mi-
 nus esset dominio, pignore autem majus, magis tamen ad po-
 sterius, quàm ad prius accedere; inter hujus Juris autem
 effectus refert (1) quod per donat. P. N. uxor de dote
 reddatur secura. (2) Mulierem illam posse petere in
 compensationem dotis, consumpta à marito dote, ita ut
 hoc casu jure prælationis gaudeat. (3) Si in lucro ca-
 ptando versetur, inter hypothecarios ex tempore col-
 locari. (4) Quod donationem P. N. lucretur, si mari-
 tus adulterio vel malitiosâ desertione causam dederit.
 Sed, salvâ Clarissimi Viri pace, eidem in omnibus as-
 sentiri non possumus. Nam quoad (1) nulla omni-
 no ratione dotis illatæ similem vel majorem securita-
 tem uxori per Donationem P. N. accrescere, illâ, quam
 ratione ipsius dotis jam habet, supra (§. 28.) jam tum
 probavimus. Ad (2) uxorem donationem P. N. in
 compensationem dotis petere quidem posse concedi-
 mus, sed male sibi ita prospicere, nec jus prælationis
 illi ita competere, eodem loco monuimus; ad (3) con-
 stat, niti hanc conclusionem erroneâ, quam confuta-
 vimus, hypothesi, uxori scil. ratione D. P. N. hypothe-
 cam competere. Ad (4) concedimus, illudque etiam
 ad casum dissoluti per mortem matrimonii extendi-
 mus, de quo supra §. 13. seq. plura diximus.*

D

§. XXX.

§. XXX.

Apparet ex dictis, solum tantummodo effectum sub n. 4. recensitum remanere uxori in casu dissoluti matrimonii ratione donationis propter nuptias, cui & hanc ex *Novell. 61. cap. 1.* superaddendum esse existimamus, ut sc. maritus rem immobilem propter nuptias donatam constante matrimonio vel oppignorare, vel alienare, sub poena nullitatis, nequeat; Sicut autem supra jam tum a nobis ostensum, per ejusmodi alienationis vel oppignorationis prohibitionem uxori jus tacita hypotheca vel dominii non esse constitutum, ita exigua est admodum utilitas, & securitas, quam uxor exinde sibi promittere possit. Fac enim, concursum Creditorum contra maritum obœratum motum esse, uxor ratione rerum propter nuptias donatarum expressâ hypothecâ destituta, nequiquam ad classem tertiam inter hypothecarios, uti quidem pronunciarunt Dn. VITEBERGENSES apud illustr. WERNHERVM p. 8. *obs. 334.* locari, multo vero minus omnibus aliis creditoribus jure quodam dominii præferri, quin potius, cum, dote salvâ, de lucro solum captando agat, in classe saltem quinta chirographariis creditoribus annumerari poterit; id quod etiam JURE SAXONICO ELECTORALI per *Ord. Proc. 1. 43. §. 3.* ita expresse constitutum esse legimus, cum econtra JURE SAXONICO COMMUNI post hypothecarios simplices ponatur, & sic chirographariis & simpliciter privilegiatis adhuc præferatur, juxta RICHTER, *de priv. Credit. C. 3. Sect. 1. n. 20.*

§. XXXI.

Atque hæc sunt, quæ, pro temporis ratione, fugitivo planè calamo, de Questione: An Uxor in Donatione propter nuptias constante matrimonio habeat dominium vel jus hypothecæ tacite nec ne? pro negativa, in medium, speciminis inauguralis loco, proferre decrevimus, & sicut hujus quaestiones effectus & usus in materia concursus creditorum sese satis ostendit, ita Consult. Dn. HOFFMANNVS in sepe cit. *Dissertat. de differenti. Jur. Rom. & German. in doctr. de D. P. N.* illam frustra Catalogo Logomachiarum Juris retulit. Faxit, quod reliquum est, D. T. O. M. ut quantumuscunque hic labor academicus in sui gloriam, vergat.

TANTVM.





(X228 2285)

VD
18

ULB Halle

3

007 436 564







1729,7
Q. D. B. V.

LXIII.

9

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

**DE VXORE
IN DONATIONE
PROPTER NVPTIAS
NEQVE DOMINIVM,
NEQVE HYPOTHECAM
TACITAM HABENTE,**

QVAM

CONSENTIENTE

ILLVSTRI FACVLTA TE IVRIDICA

IN PER-ANTIOVA ELECTORALI ACADEMIA
ERFFVRTENSI,

SVB PRÆSIDIO

DN. TOBIÆ JAC. REINHARTH,

JCTI, COM. PALAT. CÆS. JVR. FACVLT. ASSESSORIS ET COD. P. P. ORD.
CIVITAT. STND. ET CONSVLIS,

PRO SVMMIS IN VTROQVE IURE HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS,

PVBLICÆ DOCTORVM CENSVRÆ SVBMITTIT

**ALBERTVS CHRISTIANVS
LVDWIG, Cizens. Misn.**

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORE HOR. CONSV.
DIE XXIV. NOVEMBR. M DCC XXIX.

ERFORDIÆ, Litteris GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

